

VK
2315

S

C

T

QK.144 a

Vk
2315

Q. D. B. P.
CHRISTIANI WEISII
DE
ORTU ET PROGRESSU
SCHOLARUM,
PER
LUSATIAM SUPERIOREM,
ORATIO SECULARIS,
DICTA
IN
JUBILEO
GYMNASII ZITTAVIENSIS,

d. 28. Febr. M D C L X X X V I .



ZITTAVIÆ,
Typis & impensis MICHAELIS HARTMANNI.



QK.144a,8.

2,777



D

P



inte
rar
orn
vab
disc
in
ced
res,
nan

AD
VIRUM
Maximè Reverendum & Excellentissimum
DN. VALENTINUM AL-
BERTI,
THEOLOGUM & PHILOSOPHUM
Lipsiensem.

* * *

Patrone ac Præceptor honoratissime,

Nemo forte mirabitur, à celeberrimo Tuo
Nomine qualiscunq; hujus Sermonis de-
siderari commendationem. Sive enim
Theologus es; Tibi non displacebit to-
ties facta Religionis mentio: sive celebri
inter Philosophos loco versaris; grata fuerit Lite-
rarum subinde succrescentium memoria: sive ad
ornamentum Lipsiae vocatus es; respicere non gra-
vaberis ad Gymnasium, cuius tot Alumni, potiorq;
discentium pars, alteram velut Patriam hactenus
in Alma Vestrâ Studiorum Sede quæsiverunt. Ac-
cedunt alia rationes, tanto quidem mihi prægnantio-
res, quo proprius contingere Tuam videntur Perso-
nam. Nam cur Historiam Lusatiae Scholasticam
)?(2. non

non amplectaris? qui prima Studiorum fundamen-
ta sic etiam debes Optimæ huic Provincia, ut nisi pro
Te vigilasset Lusatia, forte minus jam vigilare pos-
ses pro incrementis Lipsiensium. Cur autem inju-
cunda sit rerum apud Zittanos feliciter succeden-
tium recordatio? postquam incomparabili prorsus
affectu complexus es Amicos, ex hoc olim Gymnasio
progressos. Certè nunquam advolat epistola, ad
Conjunctissimum JUSTUM scripta, quin Tua sa-
lutantis verba simul dirigantur ad HARTIGI-
O S, STOLLIOS, SELIGMANNOS, NE-
SENO S, &, quoniam in admirandis Tuis vir-
tutibus multos agnosco mei similes, ad VVEISI-
O S. Neq; dissimulandum est, quod fortassis jam in-
notuit ex AMICI literis. Celebratum fuerat Ju-
bileum nostrum, & jam ad Prandiolum Rectoris
Platonicum convenerant PATRONI, letâ suâ
præsentia jucundum novo Seculo auspicium allaturi:
cum ad JUSTUM Tuum afferrentur literæ, & in
his elegans juxta & sanctitatis plenissimus Hymnus,
quem in Ædium Tuarum Jubilæo, post exactum æ-
tatis annum quinquagesimum, obtulisset optimus
& charissimus Familiae Flos. Gaudebamus novum
Jubilo conjungi Jubilum: nec alienum à nostra Salu-
te credebamus, si, cum successu Gymnasii, Tua quoq;
nuncuparetur felicitas, qui tot Juvenes eo dimisso,

con-

consilio non minus quam dexteritate sublevasses.
Una resonabat omnium Vox, vellet DEUS Dome-
stico huic Jubilo publicam non inuidere latitiam, ut,
nisi ex fatorum Lege numerum posses consummare
centesimum, ea tamen affulgeret annorum diuturni-
tas, quæ Fama, Spei, sanctisq; Tuis Laboribus suf-
ficere viderentur: Tuq; adeo posses vivens ac florens
tertium Academiae Lipsiensis jubileum contueri.

Egi causam meam, Praeceptor honoratissime,
cur accusari non debeat inscribendi hæc audacia.
Sed an ejusmodi præfationem mereatur brevis &
extra curiositatis laudem posita Oratio, difficilior
est quæstio. Umbratilia sunt, quæ ad Vestram com-
parata lucem nec admirationem sperare, nec applau-
sum urgere posse videntur. Interim si ut parva
contemni non debent, sine quibus magna constare
vix possunt: forte vel ideo Gymnasiis aliqua relin-
quetur gratia, quod his Seminariis Vesta primum
est exculta vel excitata Juventus. Nec alias ala-
crioribus animis adesse solent Auditores, ad sublimi-
ora præparandi; quam si Praeceptorem suum cum
futuris Academiarum Praeceptoribus amicè conspi-
rare, vel ex apertis literarum documentis cogno-
scant, vel è fideliорibus Amicorum testimoniis sensim
intelligant. Sane conjunctis Consultationibus rem
suam aggrediuntur Architecti, ne, si primus templi
for-

forte fundamenta jecerit, alter vel Curiam superstruat vel macellum. Cur in extruendis Sapientiae, Prudentiae, quin & Spiritus Sancti habitaculis, nulla vigeant adificantum commercia? cur nos lateat, quibus Studiis, pro Seculi gusto, nunc fervore soleant Academia? Cur Vos vicissim nesciatis, quae Laborum Academicorum subsidia, jam in humilioribus his subfelliis, procurentur. Et sanctè vero profiteor, nulla me inclarescendi libidine agitatum, nec curioso πολυπειρωσσόντες pruritu vexatum, id studuisse hactenus, ne omnino mei tum apud Vos, tum alibi periret recordatio; quin potius ominor, fore ut tanto minus inserviam Academiis, quo minorem rerum ibi gestarum habiturus sim notitiam. Prorsus ut Templo non consecrabit Statuas Artifex, alioquin peritisimus, qui, quo colore, quā mensura, quā Parietum concordia singulas commendare deceat, non cognoverit. Favebis igitur innoxio huic & sincero conatu, tantumq; sive meis Auditoribus, sive Literis ipsis indulgeri credes, quantum mihi affulserit Tua, Collegarumq; Tuarum, quos ex animo complector & veneror, benignitas. Via, quam subinde calcandam inveniunt docentes, variis circumvallatur molestiis, ut vel ex hac causa sublimioribus tum suppetus, tum solatiis sublevari debeant. Sed redeo ad Orationem meam, quae forsitan intimioribus

bus Historiae & Politice documentis illustrari poterat, nisi calamus in scribendo semper esset timidior, quoties argumento accedit Religionis vel Regionis mutatio. Et fateor, in promptu non fuisse singula, quae nunc dici opera esset pretium. Publica enim Scrinia non licebat excutere. Privatorum Commentariis, si quos reliquit Majorum fides, excludebar alia de causa. Nam Budissinenses periisse pleraque dolent in funesto suo Incendio. Quod à variis Gymnasii Collegis, superiore seculo apud nos, non ineleganter congestum est, in possessores incidit non invidos, sed ignaros, ut vix aliqua fragmenta jam supersint, unde jacturam estimemus. Soli Gorlicenses & justam adhibuerunt diligentiam, & in asservando param invenerunt felicitatem: forte quod Bibliotheca, Rectoris Museo vicina, singulas hujus generis chartas securius ab injuriis defenderet. Nec dissimulanda impræsentiarum Clarissimi FUNCII promptitudo, qui liberali manu suppeditavit Chronicum, Latinis Verbis à quibusdam Rectoribus congestum, ipsamque Gymnasii Matriculam lectu & custodiâ dignissimam. Ita non colligendo vel plenis calathis comportando, sed suffurando leviq; velut racematione eò sum progressus, ut jubilandi gratulandiq; non indignam habere materiam viderer: ac adeo laudabiles Majorum cineres justis suis encomiis haud omnino defraudarem.

Cæ-




Cæterum prolixiora sunt, quæ scribo, quam
ut Tua ferant Negotia, vel meum postulare debeat
obsequium. Quamobrem denuo rogo, velis favere
Jubilo Zittaviensi; velis amare Zittavienses, &
cum his non indignum, in quo profecerunt, Plantarum;
velis commendatum habere Tui studiosissi-
mum Rectorem. Sic DEUS Te servet, sic Nomi-
ni Tuo, votisq; Tuis, quibus universa Lipsiensium
salus continetur, perpetuum indulgeat augmentum,
ut olim Studiis, Religioni, Posteritati Te vixisse,
Fama deprendicet nunquam intermoritura. Vale.
Zittaviae è Gymnasio. d. 3. April. 1686.

Tuiss.

CHRISTIANUS WEISE,
Rector.

Ma-





Magna res agitur, Auditores
spectatissimi, amicissimi, dilectissimi,
postquam in hoc Gymnasio celebrari
debet Secularis Solennitas. Si enim pro
parvis haberri nequeunt, quæ centum abhinc annis,
à Nobilissimo hujus Urbis SENATU sic fuerunt ge-
sta, ut externo etiam cultu rei proderetur auctoritas:
cur nunc contemni possit ominum, eo tempore con-
ceptorum, tam felix confirmatio? quâ nec meliorem,
nec perfectiorem ipsi speraverint & exoptaverint
Optimi Majores; sive Religionis securitatem, sive
Pacis florem, sive dispersam ad exterros quoq; nostro-
rum studiorum famam, seu deniq; redundantem in
omnes Zittavienses felicitatem libeat intueri. Ma-
gnum erat superiore seculo nitidioribus ædificiis
commendari Zittaviam, in altum exsurgere Tem-
plorum, Curiæ, Portarum & Mœnium turres: sed
supra splendidam hanc magnitudinem fuit, ab omni-
bus fidei fermentis repurgari Ecclesiam, charamq;
hujus sive Alumnam, sive fororem, sive filiam, ad latus
collocari Scholam, unde Viri tandem procederent,

A

do-

am
eat
ere
et
ta-
bi-
ni-
um
um,
sse,
ale.

SE,

ma-



docendo, consultando, propugnando Ecclesiæ profuturi. Nec ad nos tristis minus spectabat Patronos, quod *Philippus Melanchthon* anno 1526. acclamaverat Norimbergensibus. Jussus enim solenni Præfatione novum velut consecrare Gymnasium, tria congregebat in præstantiæ argumentum, augurari se, fore, ut duraret Religio, vigerent bona leges, ac liberi sensim succrescentes ad omnem Virtutis curam instituerentur. Vidimus per DEI gratiam jucundissimo hoc trifolio celebrari Civitatem nostram. Resonat in Templis Evangelii doctrina: Leges nec turbis nec rebellionibus ab eo tempore laboraverunt unquam: Vos etiam Patroni & Amici, qui Patriam hæc tenus benemerendo obstrinxistis, quantum eruditæ huic Sedi debeat, quantum Vestri aliquando sint debituri, deprædicatione non obscurâ saepe fuistis confessi. Neque tamen, in publicâ hac felicitatis memoria, quisquam adeo fuerit Horologii Politici ignarus, ut nesciat, quibus rotis & machinis ea res ordinata successerit. DEUS est, qui Provinciam hanc respexit, qui Sapientiæ Spiritum concessit Proceribus, qui Consiliis cum laude suscepisti fructum largitus est, & eventum. Ab hoc impetratum fuit, quicquid prosperitatis in seculari hac recordatione celebrari potest: Ad hunc referatur, quicquid laudum & gratulacionum in splendida hac Panegyri junctim effundi debet. Et vero qui nonus ego sum à condito Gymna-

sio
nor
qua
qua
tate
faci
tien
goti
se c
RIA
dev
am
tiæ
suo
me
mu
no
qu
mi
lum
tut
adl
dis
div
lac
op

sio
no
qua
qua
tate
faci
tien
goti
se c
RIA
dev
am
tiæ
suo
me
mu
no
qu
mi
lum
tut
adl
dis
div
lac
op

sio Rector, vel per sacrum istum numerum facere non possum, quo minus, meo dicentis sermone, aliquam precum & votorum fiant initia, sive specimina, quæ tanto postmodum perfectius à Vesta Benignitate & Pietate consummentur. Interim hoc dum facio, [faciam autem omnibus faventibus & conscientibus] non est, cur argumentis aliunde quæsitis, negotium in se pulchrum exornari & commendari posse credamus: Sola enim GYMNASII nostri HISTORIA, narrationibus fidem habituris exposita, suum devotioni pondus adjicit, sive divinam Providentiam quis admirari, sive à continuis paternæ Præsentiae testimoniis nova præsagia captare, seu deniq; suos Majorumq; profectus, ex ipsius Gymnasii flore, metiri fuerit lubitum. Date igitur aures, date animum, date affectum, non mihi, qui Viros passim nominabo me multum præstantiores; non tempori, quod suâ quidem novitate satis largum elicit encomium; sed huic Literarum Sedi, quæ Vestros omnium Parentes enutrit, quæ jucundam clapsæ Juventutis memoriam in Vobis reservat, quæ Filiorum adhuc spem & fiduciam, præsagiis non contemnendis, sustinet, quæ posteris etiam annis nominabitur divinæ Beneficentiæ speculum, publicæ felicitatis Palladium, Civitatis ornamentum.

Atq; ut hinc procedat Gymnasii historia, non opus est, provocare ad ipsa hujus Urbis incrementa,

sive primam ædificandi occasionem dedit *Zittavia*
vel *Sidonia*, Micislai Polonorum Regis filia, Mona-
sterii fundatrix; sive de Mœnibus primo circumdu-
cendis cogitavit *Ottocarus*; sive de lautioribus Pri-
vilegiis prospectum fuit à *VVenceslao*. Sane enim
ea temporum erat, fallor? an simplicitas, an barba-
ries, ut Scholarum, si qvis agnosceretur usus, nullus
tamen captaretur aut expeteretur Splendor. Et pri-
ma quidem Scholaisticorum mentio in nostris Chro-
nicis facta est ad annum 1366, quo Monachi Cœlesti-
ni, qvibus paulo ante Carolus IV. Petram Oybinen-
sem concesserat, qviq; posteris temporibus in nostrâ
hac Civitate Paracleti, ut vocabant, Domum, seu
Patrum Aulam, ut hodie loquimur, construxerunt,
Scholaisticos mendicantes seu communicantes, ad se
vocatos, pedum lotione, convivio donisq; aliis exce-
pisse dicuntur. Et nominabantur isti pueri commu-
nicantes, qvod Sacrificis, Evcharistiam publicè vel pri-
vatim administrantibus, præsto esse juberentur. Po-
stea de rebus scholaisticis altum est silentium; donec
anno 1422. magnum describitur incendium, qvod in
Textorum Platea exortum, variam habitationum de-
dit stragem, & cum Templi majoris tecto Scholam
qvoq; corripuit, qvantum auguror, eo loco constitu-
tam, qvo Rector nunc hortulum suum habet, & Cu-
rifugium. Cum vero seqvens annus novo incendio
esset funestus, credibile jest, Scholaisticum hoc ædifi-
ci.

cium levi & tumultuariâ structurâ tum è suis cíne-
ribus surrexisse.

Num Monachi Franciscani, ad qvos pertinebat
vicinum Monasterium, qvicqvam excitandis puero-
rum ingeniis profuerint, temere nihil velim statuere.
Cum enim apud Gorlicenses anno 1458. à Franciscá-
nis erigendum esset istius Ordinis Studium, sive Scho-
la Studiis excolendis consecrata, res successum non
habebat, nisi prius à Provinciali mandatum exiret, il-
ludq; decenter Oppidano Senatui significaretur. In-
de qvamdiu clara desunt testimonia, pigritiæ potius
suisq; ceremoniis addictos fuisse Fratres, nec adeo li-
terariis molestiis multum laborasse credamus. Cæte-
rum qualiscunq; fuerit Scholæ constitutio, dubium
non est, summam profectuum gloriam eos habuisse,
qvi cantando suis Magistris adesse, Choralemq; suam
Musicam Civibus admirantibus jaētitare possent.
Cur enim præteream, qvod M. Braxator qvidam,
seu ut Germanicè vocabatur, M. Melzerus anno 1479.
solenni testamento cavit, ut, qvoties rediret Veneris
dies, ad pulsum Majoris campanæ, à Collegis & Scho-
lasticis concineretur Responsorium, qvo circa Passi-
onem Dominicam *Tenebræ factæ* innuuntur: ordi-
nato ad hoc officium Legato, tum temporis non
contemnendo, nunc ubi niūm excreverunt rerum
pretia, exiguo, sed tamen vel ob memoriam adhuc
laudabili. Ast sensim majoribus augmentis gaude-

via
ona-
du-
Pri-
nim
urb-
llus
pri-
bro-
esti-
nen-
strâ
seu
int,
d se
xce-
nu-
pri-
Po-
nec
H in
de-
am
tu-
Eu-
dio
ifi-
ci-

re cœperat nostra Civitas, ut anno 1491. de Templi Parochialis majori cogitaretur spatio, adjecta columnarum novâ serie, qvæ quadruplicem nunc exhiberent fornicem. Inde si plures darentur Cives, qvæ replerent Templum, auctior simul emergebat filiorum numerus, qvi locum optarent in Scholâ. Anno igitur 1497, ex opposito Scholæ veteris, versus D. Johannis cœmeterium, illa construebatuī ædificii pars, qvæ classem hodie Quintam & Sextam continet. Ac erat tum Ludimoderator cum Cantore, certisq; Collaboratoribus, qvos à præcipuâ functione Scribas dixerunt: unde natam crediderim denominationem, ut postea, qvi è Scholasticis privatæ informationi darent operam, Scribæ appellarentur. Facere non possum, qvin hic inspergatur jocus, quem Ludimoderatore *Michaele Arnoldo* anno 1505. Postridie Bacchanalia datum accepimus. Duo enim ex istis Scribis siue Collaboratoribus, intelligentes, carnibus nuncesse valedicendum, solisq; Piscibus gulam adsuæfaciendam, in publico foro certamen exhibuerunt, ut alter repræsentaret Lucanicam, seu farcimen Bacchanalibus proprium, alter Halecem, seqventi Cinerum diei convenientiorem. Qvia tamen penes Halecem stabat victoria, qvippe cui relinqui debebat quadragesimale imperium, conjectus per ludibrium fuit in cisternam, qvi personam Lucanicæ sustinuerat. Narravi rem ordini Scholastico minus gloriosam, non tamen omni-



mnino culpandam, si consideretur ea Seculi simplicitas, qvæ plebejis imbuta moribus, multa in hilari-tatis argumentum accepit, qvæ nunc vel ad contem-ptum, vel ad injuriarum querelas detorqueri possent. Ab his autem initii progressa videtur exhibendorum ludorum consuetudo, qvæ firmissimas tandem hic egit radices, ut nemo crederet, celebrari Bacchanalia, nisi Juventutem simul conspicerent exercitiis dramaticis occupatam: donec anno superiore consultum videretur, remissis ad Autumnum Martiniq; festum Iudicris, ab omni tumultu observabiles hos dies absolvere: insigni profecto successu, ut nunc pro libe-riore Comœdiarum strepitu, Jubila, preces, gratula-tiones exaudiri queant. Sed redeo ad Scholam, qvæ quidem intra tenues has angustias, nec eruditissimos semper habere Magistros potuit, nec ingeniis prove-hendis operam dedit illustriorem. Inde si forte Zittaviensium unus & alter ingenio vel dignitate in-claresceret, his equidem sive Magistris, sive Collabo-ratoribus, parum debuisse credebatur. Et dum ista primum cogitarem, in manus veniebat epistola *Abrahami Hoffmanni Laubanensis, Cæsarei Historici*, ad Nobilissimum Senatum nostrum d. 28. Febr. 1617. scripta, qvâ dedicaturus nescio quod Opuscu-lum historicum, varios enumerat in hac Zittaviâ na-tos, ac postmodum splendidissimis honoribus defun-tos: & inter eos præcipuo quidem loco, *Frideri-cum*

*cum Archiepiscopum Salisburgensem, & Antonium, Monasterii Bruccensis prope Teyam fluvium in Moravia Abbatem: qvibus tantum abest, ut Præceptores assignare velimus è Scribis aliquos, ut potius in Cœnobiis à Patriâ remotis succrevisse opinemur. Nec indigna loqvor, si DEUS Scholæ incrementum his servare voluit temporibus, qvæ affulgentibus Evangelii radiis omnem barbariem, omnes ineptias, omnia consuetudinum ludibria feliciter abstigerent. Ut enim hic, velut in transitu, ludibrii referatur exemplum, qvid misellis eorum annorum Magistris haberi poterat ineptius, cum ad Martini festum, comitantibus pueris, tanquam Monachi mendicantes, ostiatim aliquos colligerent cibos; hic sub brachio gereret cophinum, quo custodirentur casei; aliis in calatho suo exciperet ova; non deesset, qui Qvalo suo seu Moscha farcimum reconderet cupedias; pueri deniq; sub corbe suâ gementes, cornua Martini domum referrent: qvæ tamen consuetudo, qvamprimum eluxit Religio, sic abrogata fuit & explosa, ut in honoratioris munera vicem, Patroni liberalitatem suam Martinalem exercere qvotannis soleant. Cæterum non exspatiabor in ipsam Reformationis historiam, qvæ festinantissimâ nobis felicitate adductum memorat *M. Heidenreichium*, Evangelicæ doctrinæ Præconem 1521; qvæq; seqventium annorum adeo fortunatum exponit successum, ut ne-*



nemo jam in mœnibus, nemo in agro Zittaviensi reperiatur, qvi vel externas Majorum reliquias, vel propinquam heterodoxorum cum nostris societatem tolerare cogatur, aut contueri. Faxit saltem benignissimus ille Pater, qvi tanto beneficio, præ multis aliis Provinciis, nostram collustravit Lusatiam, ut optatissima Religionis Conscientiarumq; libertas præcipuum Patriæ semper sit Cimelium, ac adeo Templi secura tranquillitas, aliquam simul hujus possessionem in Viciniam Scholasticam transfundat.

Sanè tum de Scholarum repurgatione seriò per universam Hexapolin cogitatum est. Gorlicenses, qvibus prima forte debetur gloria, cum Evangelii profitendi facultatem obtinuerint anno 1525, Scholam à Catholicis possessam, anno 1529. renovari jusserrunt, vocato in Rectorem *M. Christophoro Lasio Argentoratensi*, qvi publico Scripto Doctrinæ ac Disciplinæ reddidit rationem, ac ut ea res sæpe reteretur à Successoribus, suo exemplo primus effecit. Is hunc habuit honorem anno 1538, ut, cum Urbem ingrederetur Ferdinandus I. Rex, procedentem ad templum comitaretur suis stipatus discipulis, Regisq; benignam exaudiret vocem: *Optimi filii, Regem habetis clementissimum.* Et adhuc celebratur hoc Distichon, Ferdinando oblatum:

*Accipe, Rex, blandâ ferimus quam voce salutem,
Et nobis pueris innocuisq; fave.*

B

Li-

Libenter autem facio, ut hic perseqvar Regiae benignitatis exemplum, ne quis temere sibi vel aliis persuadeat, obscurâ & illicitâ incolarum licentiâ constitisse Scholas, quas Regum & Imperatorum expressus favor sublevaverit, & qvoniam Principum consensus habetur pro Lege, solenniter confirmaverit. Neq; suo defuerunt officio Budissinenses, qui postquam juvenilibus incrementis utcunq; suas consecraverant curas, anno 1543. Scholæ noviter à se constructæ, Rectorem dederunt *M. Joachimum Cneandrum*, qui primus jussu Patronorum Ordinem Lectionum & Leges aliquot Scholaisticas, nescio tamen an typis publicatas, consignavit. Cujus quidem Scholæ non levis hæc est gloria, quod *Philippus Melanchthon* Peuceri senioris gratiâ 1559. ad hanc Urbem profectus, postridie Johannis Baptistæ festum, venisse dicitur in Auditorium, pulchroq; sermone Johannis historiam illustrasse, in quo Budissinam non dubitaverit nominare, *Custodem bonæ disciplinæ & humanitatis*. Nam & hoc libenter adduco, ne ignotum sit, quantum exteri Eruditionis Heroes de Lufatorum flore ac commendatione fuerint soliciti. Laubanenses video anno 1537. à Ludimoderatore suo *Caspere Capolo* postulasse, ut Lectionum & Legum certam Sciagraphiam scripto conciperet, ibiq; demum anno 1588. e veteris facelli ruderibus erectam Scholam discentibus commodiorem, sumptibus D.

Adri-



Adriani Albini, qui Laubani natus, tum in novâ
Marchiâ Cancellarii gerebat munus. In laudatissimo
igitur benemerendi certamine suis præconiis non de-
fuere Zittavienses, uno saltem impedimento constri-
cti, quod Scholæ nova promitti amplitudo vix pos-
set, quippe quâ nunc est Vestibulum & scala, minor
transfibat Platea, quæ Civibus ad templum progressu-
ris claudi non debebat: ex adverso obstabat Domus
& Area Crucigerorum Melitensium, cui certus præ-
sidebat Commendator, qui profecto suarum ædium
partem decerpi non patiebatur. Equidem in Janua,
quæ aditum facit Secundæ & Tertiæ Classi, invenio
annum 1519. interim multis adducor argumentis, Po-
stes eâ notâ insignitos, post destructam Crucigero-
rum Domum huc pervenisse. Etiam in contignatio-
ne tecti Scholaftici insculptum trabi lego annum
1541, mentione simul factâ Consulis Regentis: sed tum
ordinari nihil potuit, præter superficiariam tecti reno-
vationem. Delituerunt igitur Docentes & discentes
in veteri suo nidulo. Ac duos eo tempore Rectores
five Ludimoderatores habuimus, quorum honorifi-
ca hodienum servatur memoria, *Andream Ma-*
scum & Franciscum Jungnickelum. Mascus an-
no 1545. in Collegium receptus Senatorium, dignus
fuit, qui aliquando mitteretur ad Imperatorem: cla-
rior factus filio *Michaële Masco Jcto, Academiæ*
Lipsiensis aliquoties Rectore, postmodum Electoris

*Brandenburgici & Principis Anhaltino Dessavi-
ensis Consiliario*, qui tum Patriæ, tum Scholæ invi-
tatus affectu, ut qvotannis ex hoc ipso loco com-
mendaretur, liberali testamento prospexit. Jungni-
kelius anno 1548. Senator dictus, tandem ad Con-
sulares fasces promotus, in Parochiali templo, an-
te summum Altare, sub imagine suâ lapideâ qviescit.
Ac dubium mihi relinquitur nullum, subinde magis
enitusse rei Scholaſticæ florem, postqvam illi verfa-
rentur inter Patronos, qui, qvantum auxilii reqviratur
à docentibus, experiendo cognovissent. Erat autem
ea Seculi consuetudo, anteqvam plenior haberetur
Eruditorum copia, ut si qvem Latini sermonis gna-
rum, vel ſcientiarum opinione probatum, adſciscere
vellent in Patrum Conſcriptorum Ordinem, ipsa
Schola haberetur Curiæ Seminarium. Ita enim *Cæ-
leſtinus* quoq; *Henningius*, initio paucis annis Can-
tor, poſtea Senator & Consul, ne aboleretur prioris
conditionis memoria, in ipſo Choro ſtatui ſuæ re-
cordationi voluit Epitaphium. Forte crediderunt
Optimi Majores, patientius eosdem regiminis mo-
lem portaturos, qui tot hactenus tolerantiæ dediſſent
ſpecimina. Sed multo tamen laudatur magis ho-
diernus ingeniorum proventus, ubi ſuo qvivis labori
immoritur, qvem exercendo & repetendo ſibi red-
didiſit vel faciliorem vel feliciorem. Interim ſi ocu-
lis obverſetur Res Scholaſtica, multum profuit tum
e Scho-



è Scholis vocatos Senatores. Ut enim Goricense
Gymnasium plenum acquireret splendorem, effecit
M. Georgius Otomannus [nisi malimus scribere
Hottomanum, qvomodo *Franciscus Agnatus*, ce-
leberrimus per Galliam & Helvetiam factus appelle-
lari voluit] qvi Scholæ Rector factus 1544. ad Ora-
toriæ Professionem à Lipsiensibus vocatus 1548, re-
dux paulo post ad Scholaisticam functionem, ea de-
monstravit exactissimi judicii documenta, ut 1562. Ci-
vitatis diceretur Syndicus, tandem Consul. Ita non
qvievit, donec ultimus Monachorum Franciscano-
rum Studio semel consecratum Monasterium Sena-
tui transcriberet, eamq; cessionem Auctoritas Maxi-
miliani II. Imperatoris 1563. firmam redderet ac con-
stantem. Ut vero Zittavienses aliquā sibi promitte-
re possent Gymnasii initia, præsttit *Dn. Nicolaus*
Dornspachius, qvi sub Andreâ Masco Collega Scho-
læ secundus, anno 1542. Senator factus, 1548. Consul
dictus, incomparabili dexteritate suis ita præfuit offi-
ciis, ut natus ad hujus Civitatis gloriam videretur, ni-
si universæ potius Lusatiae natum dicere libeat, qvem
Cæsar suum constituerat Consiliarium, & Redituum
per inferiorem Lusatiam Præfectum: ut taceam Le-
gationes publicæ salutis causâ feliciter ac fideliter su-
fceptas. Is igitur cum Templi & Scholæ incremen-
tis obstatre intelligeret Melitenses s. Crucigeros Do-
minos, eò rem deduxit, tum in Aulâ Imperatoris, in

qvâ erat notissimus; tum apud ipsos Ordinis Proces-
res, qvibus ostentabantur alia bona, nisi fallor in Mo-
raviâ, qvæ possideri possent quietius, ut solutâ pecu-
niæ summâ satis grandi, Domus hæc cum juribus eò
pertinentibus, Nobilissimo Senatui relinqveretur an-
no 1570.

Sed anteqvam ista perseqvor, subsistere liceat
paululum, & recordari, qvæ Lufatorum tum fuerit
conditio. Etenim latè propagata per Bohemiam,
Silesiam, imo & vicinam Poloniam fuerat Augusta-
na Confessio: neq; tamen ubivis locorum erigi po-
terant Scholæ, qvæ templis ferrent suppetias. Certè
Bohemia nobis contermina suum hoc in negotio de-
fectum facile agnoscebat, qvod in Oppidis majoribus
obstarent adversarii, in minoribus resisteret loci inge-
nium, ac ipsa Praga nimiis deliciis celebrata, severio-
rem adolescentiæ disciplinam vix tueri posse videre-
tur. Inde Lufatis aperti oculi, facilem affore incla-
rescendi materiam, si qvas haberent facultates, causis
piis semel destinatas, erudiendæ Juventuti porro con-
secrarent: ita futurum, ut non sine Civitatum glo-
riâ confluenter Exteri, qui postqvam intra juveniles
lufus hanc Provinciam affectu sinceriore complecti
cœpissent, per integrum vitam sese profiterentur aut
Benefactores & Patronos, aut Amicos & deprædica-
tores. Primum vero experimentum fecerunt Gorli-
censes, qui Monasterium sibi concessum curâ non
per-

ce-
Io-
cu-
eò
an-
eat
erit
m,
sta-
po-
ertè
de-
ous
ge-
rio-
ere-
cla-
usis
on-
glo-
iles
ecti
aut
ca-
rlis-
non
per-
perfunctoriâ sic illustraverunt, ut anno 1565. d. 22.
Maji, solenniter institueretur Gymnasium, vocato ad
sanctum hunc laborem *M. Petro Vincentio Vratis-*
lavienſi, antea per novem annos Academiæ Witte-
bergensis Professore, qvi Disciplinam & Doctrinam
Gymnasii publico iterum Scripto complexus, cum
& ipſe profectibus suorum strenuè invigilaret, ac Col-
legas simul haberet, fide & eruditione commenda-
tos, dici non potest, qvatum nomen paſſim acqvi-
ſiverit; donec à Vratislaviensibus ad Elisabethani
directionem evocaretur. Neq; minores erant, qvi
tanto Viro dabantur Successores, *M. Joachimus*
Meisterus, postea Gymnasii Bremensis Rector, &
M. Laurentius Ludovicus, qvi anno 1590. censum
agens Scholaſticum, in Prima Claffe invenit Auditio-
res 161, in universo Coetu 616, & in iis Nobiles ē Bo-
hemiam potiſſimum, Sileſiam & Poloniā ſi. Peregrinos
200. Ut taceam reliqvos, pari gloriâ dignos, ſi vel
maximè tūm bellorum injuriaē, tum Reformationis
apud Vicinos procell., frequentiam reddiderint ali-
qvantio angustiorem. Gorlicenses ſecuti ſunt Zitta-
vienses noſtri, de qvorum ſeculari recordatione nunc
dicetur amplius. Tandem ſuis qvoq; laudibus fatis-
fecerunt Budifſinenses, qvi cum *Thomam Fabrum*
habuiffent Rectorem, aucto Collegarum numero
1590. eundem jufferunt eſſe Collegam Supremum, fi-
ve Correctorem, dato novo Rectore *M. Andreā*
Neer-



Neerkornio, qvi tamen biennio' post discedens 1592. lampada tradidit celeberrimo **Gerlachio**, cui si dixerō Budissinenses pariter ac Zittavienses plurimum deberē, neminem forte habiturus sim contrarium, qvi vel obliquo saltem oculo antiquitatis vestigia legere sustinuerit. Utrobiq; enim editis de Doctrinā & Disciplinā legibus, qvas Patroni prudentissimè conceperas, libentissimè confirmārunt, futuræ claritatis fundamenta posuit, semper duratura. Sed tempus est, ut ad nostram unice respiciamus Zittaviam, qvæ amissis suis Crucigeris de Scholâ cogitare cœpit ardentius. Et sciendum, qvo loco jam extat Rectoris habitatio, Crucis Domum stetisse, adjectam Cœmeterii septentrionalis partem, Crucis aream audivisse, qvod ductus ab utroq; latere muris, liberum Civibus circuitum denegaret, protracto fornice ad Templum usq;, cujus levia nunc spectantur vestigia in muro, qvâ Scholaisticus patet introitus, ut Commendator cum suis, sicco pede per tectam hanc viam transire posset ad Sacra. Hujus areæ murum 1571. destruxerunt, ac ut Platea Scholæ vicina, Ipatium daret novo ædificio, transitus eo loco qvæsitus est, ubi nunc habemus Plateam à Rectore dictam, qvæ primum vocata fuit nova, seu Concionatorum Platea, qvod per istam ad Ecclesiastica sua munia pergere solent in templum. Ita excrevit ea Scholæ pars, qvæ Sextam & Quintam continet, addito superius gemino Audi-

to-



592.
ero
be-
vel
su-
Di-
ice-
ün-
est,
e a-
len-
ha-
terii
vod
cir-
lum
uro,
ator
nsire
ux-
ovo
t ha-
vo-
l per
nt in
tam
udi-
to-

torio, seu ut nostro loquamur sensu, Secundâ & Tertiâ. Inde in ipso Scalæ ingressu satis clarus effulget conspectus anni 1573. Cæterum eo tempore vix ultra trivialem surrexeramus conditionem, nec ab istis quinque Collegis præparari omnino Juvenes poterant ad Academias, donec *Dornspachius* Vir, qui templo picturis illustraverat, qui tres Urbis turres altius & elegantius evexerat, qui propriam domum in hoc confinio construxerat, forte Senectutem ultimâ ædificandi gloriâ commendaturus, Auctor existeret, ut Crucigerorum Domus destrueretur, eo consilio, ne quid impediret ampliorem Scholæ perfectionem. Et operis tam pulchri factum est initium 1579. satis tardè, ut multis videbatur: quippe quod meritissimus hic Consul, cum in aliam faciem transformanda essent rudera, Civitati Scholæque velut germinanti moriens eriperetur anno 1580: dignus, qui receptâ Juventute vel suo superesset seculo. Sic dilatum in aliquot annos, vel tardiore curâ tractatum negotium, anno tandem 1585. ultimam experiebatur manum: ut quo loco Crucigeri Eqvorum habuissent stabulum, Classis constitueretur *Qvarta*, hinnitus & bestiarum strepitus, in jucundiores Musicorum ibi exercendorum harmonias conversura; supra ipsam amplum hoc Prima Classis Auditorium novo prorsus opere conficeretur; reliqua Commendatoris habitatio Rectori redderetur commodior, facil successu,

C

quod,

quod, cum alibi Monasteriorum recessus aptari vix possent usibus familiaribus, hic omnino responde-rent structuræ, liberis & ordinatis contignationibus excitatæ. Erat autem tum Rectoris loco *Tobias Schnürius*, Vir alioqui satis doctus, quod è reliquiis latinorum Chronicorum, ab eo congestorum, appa-ret: quia tamen vel ad Splendoris opinionem quic-qvam contribui posse videbatur, si novo Gymnasio novus quoq; daretur Rector, honorificè is fuit dimis-sus, Senatoris & Scholarchæ characterem indeptus. Ita *M. Casparus Janitius* hactenus Scholæ Laubanen-sis Rector huc vocatus, accessit d. 2. Decembr. 1585, eā conditione, ut levioribus velut tentaminibus Juven-tutem invitaret, donec solennis seqveretur introduc-tio. Inde paucis ante hanc solennitatem diebus, ipsâ Bacchanaliorum Septimanâ, Scholaisticos suos produxit in theatrum, exhibitâ Eli & Samuelis histo-ria: salutari prorsus omine, commendari Samuelem, ubi non pauci, tum in templo, tum in Curiâ Samu-elis Virtutem expressuri, ab hoc Virtutum & Artium domicilio promitterentur. Introductio incidit in decimum Martii diem anni 1586, cuius Splendor tanto magis feriebat Spectantium oculos, quod Con-sul tum regens Nobilissimus *Dn. Michael Kroloft*, cum Patribus Conscriptis ordinatc Processu, ut vo-cant, Ædificium hoc novum ingrederetur, Rectorem eruditâ Syndici *Dn. Procopii Naponis* voce confir-

ma-



maret, novosq; Collegas veteribus adjiceret. Ab eo
die numerus docentium fuit octonarius: quippe post
Rectorem *Janitium* memorantur *Michaël Justus*
Corrector, *M. Daniel Burchardus* Tertius, *M.*
Casper Tullichius Quartus, *Tobias Kindlerus* Can-
tor, & reliqui *Paulus Schönborn*, *Adamus VVit-*
vver, *Paulus Fritschius*, quibus singulis datum fuit
hoc negotium, ut pro virili suis ita functionibus
præessent, ne quis inepto & sesquipedali titulo, quin
potius ipsa re, juvenumq; profectibus, illustratum hic
inveniret locum; & sicut è cantu noscitur luscinia, sic
è suis operationib⁹ probaretur GYMNASIUM. Nam
ut publicam sibi notitiam fœnerari possent Specimi-
na, quæ forte ferventibus omnium laboribus lucem
& gratiam exposcerent, Typographus etiam quæsi-
tus est, constitutâ in Domo Paracleti officinâ, cum à
nato Gymnasio vix elapsum esset octiduum. Ni-
mirum his Eruditorum amanuensibus Fama suas
plerumq; debet aures & lingvas: ac si nihil jam reti-
ceri potest, quod Scholasticæ felicitati, adeoq; divi-
nis beneficiis annumerari meretur; ne Typographiæ
quidem mentio nostris fuerit indigna jubilis, quæ
sæpius incendio bellicisq; calamitatibus confusa, sem-
per tamen in lucem rediit, ut nunc quoq; nitidores
nostrî characteres Lectorum oculos aliquanto jucun-
dius invitare videantur. At enimvero sicut in recenti-
bus ædificiis non ubiq; statim cohærent tum parietes,

C 2

tum,

vix
nde-
bus
ias
viis
ppa-
vic-
asio
nis-
. Ita
nen-
s, eā
yen-
odu-
bus,
fuos
sto-
em,
nu-
um
t in
dor
on-
oft,
vo-
rem
nfir-
na-

tum parietum incrustationes, qvō minus auxiliatricem Architecti manum denuo reqvirant: sic in his Gymnasii initiis aliqua notabantur, qvæ repetitis Patrum curis & consiliis essent perficienda. Anno enim seqvente Functionem relinquebat Rector Janitius, fact⁹ postea Rector Dresdensis, breviq; tandem interregno surrogabatur *M. Leonhardus Ezlerus*, qui cum malueret hoc officium commutare cum oppiduli Hirschfeldensis Parochiā, anno 1594. Successorem habebat *M. Michael Hammerum*. Neq; rariores erant cæterorum Collegarum mutationes, multis conuentibus, nondum coaliuisse vinculum, qvod in præstandis docentium adjutoriis summè haberetur necessarium. Nolo turbare quietos Antecessorum cines, qvibuscunq; demum indiciis homines se fuisse demonstraverint: unum tamen si exposuero, rem dixero, à cognoscendâ Gymnasii conditione non alienam, votisq; postmodum effundendis commodam. Erat tum Pastor hujus Ecclesiæ Primarius *Dn. M. Johannes Vogelius*, Vir, non in Eruditione solum Theologicâ, qvæ probare Concionatorem posset, celeberrimus, sed in humanioribus qvoq; literis eo progressus, ut, qvoties carmina lego, ipsius calamo concepta, saepè mecum dubitare incipiam, num magis extolli debeat inventionis amoëritas, an styli ad antiquam elegantiam accommodati puritas & majestas. Hic Scholæ prioris fuerat Inspector, datusq;

ipſi



ípsi fuerat honor, ut positis Gymnasii fundamentis
hâc auctoritate gauderet imposterum, &, nisi me fal-
lunt conjecturæ qvàm certissimæ, interdum docen-
di causâ hoc Auditorium ingrederetur. Sive igitur
intercederet tacita eruditionis æmulatio, sive in hâc
informandi societate, hinc imperandi, hinc resisten-
di glisceret suspicio: querelarum non defuerunt cau-
sæ, donec veniens Deus é machinâ omnem hanc
simultatem facile componeret. Nam Pestis anni
1599. qvæ totam fere conturbaverat Germaniam, mul-
tisq; Scholis miseranda fecerat otia, nostris etiam fi-
nibus Scholæq; tandem incubuit: sic uno mense
raptus *Rector Hammerus*, & *Conrector M. Hiero-*
nymus Pelicanus: ac ipse *Pastor Vogelius*, qui, do-
nec accersi novus posset Rector, doctrinæ & discipli-
næ curam in se receperat, eandem mortalitatis legem
est expertus. Ab eo tempore Templi & Scholæ firmi-
or extitit amicitia, dum suo qvisq; loco, suo labore,
suo honore contentus nihil habuit, quo alteri disipli-
ceret, nihil quo mutuam complacendi voluntatem
impediret. Schola veneratur, qvos Christi novit mini-
stros, qvosq; ex Confessionis beneficio sæpius agno-
scit Patres: Templum reciproco favore prosequitur,
qvos in Religionis & Pietatis subsidium à DEO con-
stitutos videt. Mihi certè id semper fuit gratissimum,
nullâ me hactenus vel necessitate adigi, vel occasione
adduci, ut illis ægré qvid facerem, qvorum ego ami-

cissimam vocem audire velim in extremâ mortis horâ. Nec in præsenti hoc Jubilæo deest futuræ sinceritatis omen, postqvam nuperâ Dominicâ publicè commendata fuit Scholarum utilitas, Deiq; tam insignis gratia, qvæ nobis in seculari hoc recursu largam hilaritatis materiam proponit. Comprobetur in eventu hæc persuadentium & voventium pietas, & qvando nihil est in viribus nostris, qvod gratianimi vicem exsolvat, habeamus olim in hac cathedra templi deprædicandi occasionem, seriq; tandem Posteri, cum alterum à repurgatâ Religione effluxerit seculum, Ecclesiasticis ac Scholaisticis jubilis læti & securi defungantur.

Ignoscite, Auditores, sæpe me avocari ab historiarum cursu: sic enim fluunt Orationes in Jubilæo, ut ad qvælibet gaudiorum incitamenta libenter subsistant. Sed faxo tamen, ut liberiore nunc ductu singula expediantur. Finibus enim à contagione repurgatis, Schola etiam anno 1600. reviviscens, Rectorem accepit *M. Samuelem Junium Svidnicensem*, Correctorem *Johannem Timäum Fraustadiensem*, celeberrimi *Herbergeri* amicitiâ satis clarum. Qvorum tamen diuturna non fuit mansio, qvod uterq; nostræ Civitati suam præferret Patriam, ac ille anno 1602. Rector evaderet Svidnicensis, hic eodem tempore Concionator Fraustadiensis. Sed erat in fatis, ut post variam emergendi luctam, Gymnasii tandem

ca-



caput erigeretur. Tum enim honestissimis conditionibus effectum est, ut *M. Melchior Gerlachius*, integro jam decennio Budissinensium Præceptor, huc invitatus, d. 21. Maji 1602, unâ cum Correctore *M. Johanne Vincelbergio* solenniter introduceretur. Et hic est incomparabilis ille Vir, qvem si non habuisset Zittavia, forte nunc non haberet, qvod multùm celebrari posset Gymnasium. Is, anteqvam laboribus Scholasticis sese manciparet, in Academiis Baronum & Nobilium sive Inspector sive Moderator, cum literarum austeritate civilem elegantiam, vitæq; politioris notitiam conjunxerat, &, qvi esset naturæ beneficio ad extemporalem eloquentiam, nec minus ad captandam hominum gratiam præparatus, subito suas doctrinæ merces exponebat, ut apud clariores homines magnum habere nomen videretur occultatum alioqui Gymnasium. Multum vero tantis augmentis contribuebat Nobilissimus *Dn. Procopius Naso*, Consul, Syndicus & Scholarcha, Vir in ornatis literis, unde ornamentum acceperat, diligentissimus, qviq; ad testandum Scholæ favorem in ejus conspectu splendidam construxerat Sepulturam: Is novum Rectorem summâ complexus benevolentia, primæ velut tesseræ loco, Auctor fuit, ut Rectoris domus, alioquin ab ædibus Scholasticis separata, non ineleganti fornice conjungeretur, brevesq; passus inter præmeditantis Muſeum, & docentis Auditorium

re-



relinqueretur. Sic firmiter coaluit literarium hoc connubium. Sic quas Superiorum jussu conscriperat leges, ipse velut matrimoniales, strenue servabat. Sic continuae Declamationibus, Disputationibus, Lectureibus, quin & Concionibus, quas Nobilissimi Senatus indultu, è Primanis proiectores habebant in Monasterii templo; Sic nova Chori Musici ordinatione, deductisq; ad latiorem consuetudinem hospitiis, id impetravit, ut communis discentium Pater habitus, tantâ circumfunderetur Juvenum, è Bohemia maximè confluentium, frequentiâ, ut à Senioribus olim memoratum habeam, collocatos aliquando Prima Tabulæ Auditores in adjecto hoc atrio, spatiu reliquis fecisse. Accedebat Bibliothecæ constitutio, quam è quinq; Eruditorum scriniis collectam, NASO Patronus & Consummator adjudicatis etiam suis libris adauxerat. Licet enim primas Bibliothecæ lineas duxerint Majores, quod colligo è literis *D. Pauli Fabricii Mathematici Cæsarei* anno 1564. ad Dornspachium scriptis, ubi dono offert instrumentum Mathematicum publicæ, ut loquitur, Bibliothecæ, consecrandum: ea tamen perfectio incidit in annum 1607, quo, in Paracleti domo splendide adornatis repositoriis, intercedentibus, post Musicam vocalem & instrumentalem, Juvenum hic discentium declamationibus, solennis agebatur inaugratio. Et DEO referendum in acceptis, turbatam in

in suo nidulo Bibliothecam, durantibus bellorum ini-
juriis, nunc in Templi Petro - Paulini recessu mansio-
nem invenisse quietiorem, cui non Patronos modo
perpetuos, sed publicam quoq; Securitatem, quæ Li-
bris evolvendis faveat, etiam atq; etiam appreca-
mur. Ita floruerat Gerlachius, & cum ipso Zittavia, cum
subitâ calamitate parum abesset, qvin Gymnasii solos
spectaremus cineres. Anno enim 1608. d. 7. Junii
pessimi Latrones ignibus hinc inde subjectis, tantam
excitaverant flamarum vim, ut qvingentæ Civium
habitationes, cum ipsa Curia miserè deformarentur,
ac jam sub ultimis quoq; timoribus laborare Scho-
la inciperet. Ardebat versus Carbonum plateam
proxima domus, in area Scholastica Lignile, hor-
tiq; Rectoris sepimentum, qvod nuper demum fie-
bat lapideum, flammis cesserat: Tertiæ & Secundæ
Classis fenestræ jam sudabant plumbum; tigna tecti
adusta nihil non minabantur: donec DEUS pater-
nâ tactus misericordia affusis aquis clementer annue-
ret, ac postridie in hunc locum adhuc confluere pos-
sent Discipuli. Miseranda tum erat rerum facies,
cum alii vestibus, calceis, palliis, alii libris destituti, in
Scholam nihil afferrent, praeter lacrymas: cum Re-
ctor congregatis in unum Auditorium Primanis, Se-
cundanis, Tertianis [nam Conrectoris, Tertii, uniusq;
ex inferioribus Collegæ ædes eandem expertæ fuerant
cladem] Jeremiæ Threnos interpretaretur. O lau-

D

de-

detur in æternum divina benignitas, qvæ tum avaris
ignibus suum posuit terminum, nec postea permi-
fit, ut, qvi per bellicos tumultus sæpe circumvolita-
bant, ignium globi, vel minimam his ædibus facerent
injuriam. Effudit laudes non dissimiles Gerlachius,
postqvam, restitutâ è suis cineribus Typographiâ, pri-
mi experimenti loco anno 1611. exscribi juberet Ora-
tionem dæ hoc incendio; nec siluerunt, qvi post ipsum
Patriæ amorem, vel Juventutis curam sunt professi.
Interea dum Vir meritissimus nullis frangitur labori-
bus, & nunquam sibi dissimilis gloriam sêmel acqvi-
sitam strenuè defendit, subitâ & inopinâ morte re-
bus Scholasticis eripitur. Anno enim 1616, hâc ipsâ,
qvam volvimus Septimanâ, cum ad Ludos scenicos
Juventutem præparasset, ipsâq; Qvinquagesimæ Do-
minicâ, post preces in templo matutinas, suos Audi-
tores ad audiendam concionem piè fuisset hoitatus,
discedens forte in cubiculum gravi Apoplexiâ tactus
concidit: eo tamen DEI beneficio, ut animo sem-
per infracto mortem imminentem agnoscere, verba
ad suos facere, animamq; suam & universam Scho-
lam divinæ misericordiæ commendare posset. Inde
ex his ædibus ducta pompa exeqialis, ipso Mercurii
die, qvo ad Theatrum publicè progredi debuerant
Ludorum exhibtores. Cæterum multa extant Viri
optimi monita ad Filium, qvibus id qvoq; contine-
tur, *vellet tueri Parentis Famam.* Cui qvidem Pie-
ta



tati non defuit Filius: vel si nunc ejus etiam lingua post mortem conticescat, non defuturi sunt, qui tantam memoriam Posteritati, inter Scholasticos hortos progerminaturæ, proponant. Ipse ego qvâm solicitus sim de tuendâ ipsius Famâ, Scholâq; conservandâ, qvam in melius olim provexit, Vos dicitis Auditores, vos Juvenes dilectissimi, qvos itidem rogare semper soleo, ut tueri velitis meam famam, non inanibus deprædicationibus simulatoq; verborum lenocinio, sed diligentia, pietate, modestia, qvæ si reperiantur apud Auditores, singularem simul famam transfundere solent ad Informantes. Et erit forte vel unus post mea fata, qvæ mihi DEUS indulgeat Gerlachianis non deteriora, qui non patiatur, meam laborare famam; sicut nunc id ago, ne qvid Gerlachiano splendori, hactenus servato, detritum & imminutum videatur.

Sed cogitandum Patronis erat de novo Rectore; idq; tanto gravius, qvod multi privatis literis invitati, non dissimularent, *Gerlachio temere neminem succedere posse, qui non esset Gerlachius*. Tandem inventus est *M. Augustinus Preilius, Scholæ Torgensis Rector*, Vir Theologicis, Philosophicis & maxime Philologicis studiis laudatissimus: in eo tamen Antecessore minor, qvod tempora sequerentur variis calamitatibus funesta. Sub misero enim bellorum strepitu pauci audiebant Musas cantillantes, nec multo

to facilior annonæ caritas ingentem Auditoriis ali-
qvando solitudinem imperabat, usq; dum Pestis su-
perveniens Rectorem cum plerisq; Collegis anno
1634, sensim abriperet. Tum sub tribus Præceptoribus
ægrè sustinebatur aliquod Scholæ nomen, et si
mox eodem anno Witebergâ evocatus esset *M. Christianus Keimannus*, sub Correctoris nomine, qva-
lemcunq; labentis Gymnasii ruinam sustentaturus. Vir
id semper agens, ut Preilio Præceptoris qvam habere-
tur simillimus. Ita infaustum effluxit qvinquenni-
um, donec anno 1639. solenni *Dn. Johannis Nesenii*
Consulis & Scholararchæ voce, *Keimannus* vario speci-
mine jam notus, diceretur Rector, eademq; operâ in-
troduceretur Vir ad Scholam natus, nec immerito ad
parietes Scholaisticos sepultus, *Dn. Elias VVeise*, qui
ob continuos quadraginta annorum labores laudari
à me posset, nisi testimonium haberetur invidiosum,
qvod vel apertam & veram Parentis sectatur gloriam.
Laudabunt Virum alii, qvorum profectibus vel ad-
fuit, vel unicè præfuit. Ac in spectatissimo hoc Con-
ventu tribus verbis dicere liceat, *Summa ipsum apud*
Juvenes auctoritate semper viguisse, ne semel tamen
ut vel à Rectore, vel à Patronis, auctoritatis subsi-
dia requireret, opus habuisse. Cæterum ad Vos nunc
mea convertitur Oratio, Magnifici CONSULES,
qvorum in Vobismetipsis veneror FARENTES: Il-
li ut refloresceret Gymnasium, berignâ & Paternâ

cu-



curâ strenuè effecerunt. Generosissimus HARTI-
GIUS de vario cogitavit Splendore: nam ut tace-
am illustrem Classium & parietum Renovationem,
unde in meo qvoq; Museo Insignia effulgent Harti-
giana, ipse anno 1646, qvo tempore Svecici & Saxo-
nici Armistitii nuncius aliquem Pacis afferret prægu-
stum, pulchriore Theatro nostras erexit Comoedias.
Annoq; post instauratum Gymnasium sexagesimo,
gratiosam Samuelis Comoediam denuo adspexit.
Splendidissimus STOLLIUS, ut ordini suo restitu-
erentur Præceptorum Salaria prospexit. Nobilissi-
mus NESENIUS, & qui eundem seqvebatur, Specta-
tissimus GIRISIUS, ne disciplina corrueret, blandis
ac severis Consiliis laborabant. O habeatis paternæ
beneficentiæ fructum, & quando nunc omnigena
dignitatum hæreditas ad Vos pervenit, Vobis etiam
insideat juvandi & benemerendi Cupiditas, qvæ nul-
lis annis, cum redierint festa Autumni initia, novam
gratulandi materiam desideret. Cæterum ita felici-
bus suis negotiis invigilavit *Keimannus*, ita moriens
anno 1662. Successorem habuit *M. Christophorum*
Vogelium, in politâ literaturâ, studiisq; maximè Ma-
thematicis incomparabilem: Qvorum ego encomia
nunc deducerem aliquanto Iuculentius, nisi & tem-
poris me premeret angustia, & plures in splendidâ
hâc Panegyri reperirentur, qui vel me tacente, laudes
tantorum Præceptorum subinde deprædicarent. Tan-

D 3

dem

dem vivis erepto *Vogelio* anno 1678, sors ad me de-
volvebatur, qvi per annos octo *Professionem Polit-
ces, Eloquentiae & Poëseos in Illustri Augusteo, quod
VVeissenfels& floret*, sustinueram. Quid actum hoc
octennio fuerit, alii loquantur. Ego meis Auditori-
bus nunc ostendam, esse aliquod balbutiendi artifi-
cium; sicubi tacere, vel votis nondum nuncupatis
ab opere semel suscepto discedere vix licitum est.
Certe prima Scholarum ea non sunt encomia, si ma-
gnus adsit dissentium cœtus, vel si è peregrinis etiam
oris Clariorū Parentum Filii confluant: dissimula-
ri tamen non potest felix hic successus, ut multi &
exteri Gymnasium nostrum sedulo quæsiverint; ut,
cum aliquos timores sparsisset contagionis metus,
centesimus adhuc constaret in meâ Classe Audito-
rum numerus; ut nunc in solâ Lipsiensium Acade-
miâ versari dicantur ultra quinquaginta Studiosi,
paucis abhinc annis ex hac meâ corte dimissi; ut in
pretio habeantur, Juventutiq; manuducendæ liben-
ter præficiantur à nostris subselliis progressi; uno
verbo, ut neminem impræsentiarum pudere possit
Jubilæi Scholastici.

Ita vero sex diversis Periodis agitata fuit Condi-
tio Scholastica. Anteqvam Germaniæ continget
summum Reformationis beneficium, adeoq; cum
Sacro Studio simul efflorescerent humaniores Litera-
rum Disciplinæ, simplicitatis & obscuræ credulita-
tis



tis agebatur seculum. Postea rebus in Ecclesia feli-
citer constitutis, progerminare quidem cœpit Scho-
la, sed intra tales angustias, quæ radicibus undiq; pro-
pagandis non sufficeret. Porro tum adolescentiam,
tum maturiorem Juventutis fiduciam concepit, ubi
ad Auditoria latius ac splendidius excitata procede-
retur. Perfectissimam ætatem pollicebatur adventus
Gerlachii, cuius firma dexteritas tantum videbatur
assequi, quantum in hoc Germaniæ latibulo, in re-
motioribus his Academiarum commerciis, pene di-
xerim, in Sylvarum hâc Bohemicarum Viciniâ spera-
ri vel exoptari posset. Neq; multum aberat à de-
crepità Senectute tristissimus ille Bellorum aliorumq;
periculorum Status, cum & nervis & sanguine desti-
tutum hoc Corpus, animam sæpius agere, morti sæ-
pius vicinum crederetur. Donec insigni miraculo,
certissimoq; divini Numinis beneficio non Sanitas
modo rediret, ac virium qualiscunq; restitutio: sed
ipsa Juventus, ipsa roboris integritas, &, pene dixe-
rim, ipsum formæ decus. Cuius conservationem
si nostra quoq; deprædicaverit Posteritas; si futuro,
quod DEUS concederit Seculo, nullis Periodis sive
distinctam, sive variatam agnoverit informationem:
O quanta ZITTAVIÆ, quanta LUSATIÆ, quanta,
nisi omnia me fallunt, universæ etiam SAXONIÆ
affulserit prosperitas. Sed quorū pertinet Verbo-
rum lusus, quos forte pro lubitu fingere quivis po-
test?

test? qvorum tendunt omina; desideriis potius nostris, qvam apertis præsagiis innixa? Levate manus, ad eum, qvi suâ nos dextrâ manuduxit: attollite oculos ad montem, qvi Salutis derivat fiduciam. Ego precandi defungor officio: multi sequentur, qvibus pulchrum videbitur, vel loqui cum DEO, vel loqui pro Scholâ.

O DEUS quis memorando vel celebrando assequatur beneficia Tua. Jubileum agimus, quia Tu nos agere voluisti. Latamur, qvoniā latitiae Spiritus gaudiorum dispersit semina. O fac, ut Magnalia Tua cognoscamus, ut constanti pietate veneremur, ut faustis omnibus excitati, Posteris quoq; polliceamur. Tu servasti tot REGES & IMPERATORES, qui ZITTANAM quoq; felicitatem suis curis adscripserant: Tu successus non minores hactenus indulsiſti POTENTISSIMIS SAXONIÆ ELECTORIBUS, qvorum GLO- RIOSISSIMA PROPAGO, ut paria nobis exhibeat jubilorum argumenta, precamur. Tu PATRIBUS CONSCRIPTIS, cum nunquam deesset benemerendi voluntas, non disparem dedisti facultatem: quos itidem semper velis reddere privatim fœcundos & securos, publicè benignos & felices. Tu PRÆCEPTORIBUS eum subinde instillare animum es dignatus, ut tum juvenilibus successibus, tum Scholasticæ famæ libenter invigilarent; ut primum suæ feli-

ci-



citatis Palladium estimarent Concordiam; ut Recto-
ri civilibus, non despoticis, imperiis adfuetu, semper
amicas & paratas conjungerent manus: Tu deniq;
Discipulis ad meliora deductis, Promotores &
Commendatores non denegasti, & quod IN SECU-
LARI HAC MEMORIA vix ultimo depraedicari
loco meretur, ne quis è discentibus TRAGICA MOR-
TE, nobis spectantibus conficeretur, paternâ custodiâ
providisti. O confirma imposterum, quod optimæ
Tuæ Voluntati respondet. Ex adverso profundis-
simis Oceani fluctibus tectum & sepultum esse ju-
beas, si quid commissum aliquando fuerit, quod cum
sanctissimo Tuo Numinе minus consentiat. Inci-
piat NOVUM GYMNASII SECULUM, ne expi-
ret, si qua viguit antiqua bonitas; sed tamen, ut no-
vis constricti vinculis Pietatem, industriam, mo-
destiam tessera loco destinatas excolamus. Ut illos
refutemus, qui regnare apud nos dicunt licentiam:
ut illos corrigamus, qui accusanda licentia occasio-
nem suppeditant: ut de illis gaudemus, qvorum
studia Posteritatis spem & fiduciam sustinere jam
videntur. O DEUS ignosce erratis, da veniam
negligentia, sit oblivio petulantia: fac ut, dum no-
stri aliquando peccata Juventutis agnoscent, infir-
mitatem potius vel præcipit antiam, quam pervica-
cem animi malitiam sibi adfuisse conquerantur. O
DEUS! servati sumus in tempora periculorum &

E

ti-



timorū plenissima: fervet inimicus, conspirant ipsius
ministri, nec alias magis timendum fuit, ne præcipi-
ciis aut insidiis immittatur Juventus: O largire
Tuam gratiam, ne quis è nostris Auditoriis exeat
Apostata; ne quis vel errando famam, vel delin-
quendo vitam abripiat in discrimen; ne quis turpi
negligentia paupertatem, ignorantia contemptum,
libidine & petulantia Bonorum favorem prostituat:
uno verbo, ne quid committatur, quod Scholarum
osoribus justam suppeditet indignandi & cavillan-
di materiam. Ex adverso floreat in Auditoriis,
in Museis, in omnibus discentium libris BENEDI-
CTIO. Sint BENEDICTI, qui Scholasticos suos
fructus jam comprobant in functionibus publicis:
sint BENEDICTI, qui Scholasticis jam fundamen-
tis superstruunt parietes Academicos: sint BENE-
DICTI, qui nostris adhuc studiis consecrati, tueri
aliquando poterunt docentium famam.

Neq; minus sint BENEDICTI, qvorum Mu-
nificentia, Benignitate, Commendatione paternā,
vel amicā Providentia nobilis hic Labor & hacte-
nus floruit, & imposterum florebit. Simus in Scho-
la BENEDICTI, pulchroq; salutis consensu BE-
NEDICTAM habeamus ZITTAVIAM.

O DEUS, dum præteriisse Seculum dicitur,
& nostros tandem annos ad finem spectare, novi-
mus. Vivere desierunt, sub quibus, primam Vitam

ac-



accepit hoc Gymnasium: neq; nobis adeo longus præfigetur terminus, quo minus alii nostram mortuorum memoriam aliquando vel repetant vel depredicent. Ipsum jubilæum vanitatis Symbolum est: celebrari nequit, antequam effluxerit Seculum. Non igitur memorat, nisi mortem ac interitum temporis. Jubilantes agnoscimus, caduca fuisse, quæ gesserint Antecessores, caduca fore, quæ postfata nostra gratulandi aliquam natura sunt occasionem. Ibi veritas, ibi constantia, ibi jubilum habitat, quo nunc perducti sunt Viri merentissimi, QVORUM ANIMA MORTUA EST MORTEM RECTORUM h.e. Justorum, qui per absolvitatem Salvatoris Justitiam, nullas injustitiæ pœnas, adeoq; nec improbum Vanitatis metum sunt expectaturi: Quamobrem O DEUS, FAC NE NOBIS MORIENTIBUS DESIT JUBILÆUM IN COELO, FELIX ÆQUE SUCCESSOR IN TERRA.

D I X I.



E 2

ME-

MEMORIÆ
PATRONORUM,
QVIBUS VIDENTIBUS
NATUM EST GYMNASIUM.

Dn. MICHAELIS KROLOFFTI, CONS. REG.
Dn. AUGUSTINI KOHLII, } CONSULUM.
Dn. DAVIDIS RODOSSII, }
Dn. PROCOPII NASONIS, SYNDICI.
Dn. TOBIÆ MÖLLERI, PRÆTOR. REG.
Dn. LUCÆ FRITSCHII, } PRÆTORUM.
Dn. PETRI CAPSII, }
Dn. ANTONII GEISLERI, JUDIC. ASSESS.
Dn. GREGORII ARNSDORFI, } SCABINO-
Dn. ELIAE KOCHII, } RUM.
Dn. MARTINI HOPSTOCKII, }
Dn. MICHAELIS RITTNERI, }
Dn. DAVIDIS LUCKII, }
Dn. ESAIÆ KENNLERİ, }
Dn. JOHANNIS SCHREIBERI, } SENATO-
Dn. CHRISTOPHORI NESENI, } RUM.
Dn. MICHAELIS KOHLII, }
Dn. BARTHOLOMÆI SCHLEYI, }
Dn. NOÆ BOEHMII, }
Dn. JOHANNIS BURCHARDI, } REIP. NO-
Dn. PETRI SCHULZII, } TAR.

* *
Ut Schola tum fieret, Vestra hæc Solertia fecit:
Nunc Schola, ne pereant Nomina Vestra, facit.
C W.

- HONORI
PATRONORUM,
QVIBUS VIDENTIBUS
CELEBRATUM EST JUBILÆUM.
Dn. JOH. JACOBI AB HARTIG, JCTI. CONS.
REG.
Dn. JOH. PHILIPPI STOLLI, JCTI } CONSU-
Dn. ALBERTI GIRISII, JCTI, SYND. } LUM.
Dn. JOH. CAROLI JUSTI, PRÆT. REG.
Dn. CHRISTIANI CAPSII, } PRÆTORUM.
Dn. GOTTFREDI NESENI, }
Dn. GEORGII REINGASTI, PRÆT. EMERITI.
Dn. CASPARIS CHRISTIANI SELIGMANNI,
J. U. D. JUDIC. ASSESS.
Dn. ANDREÆ RÆTHELII, } SCABINO-
Dn. MICHAELIS RITTERI, } RUM.
Dn. JOH. FRIDER. WINCKLERI,
Dn. GEORG. ERNEST. EICHNERI,
Dn. JOH. CHRISTIANI MEUERI, } SENATO-
Dn. JOH. MART. EICHLERI, } RUM.
Dn. BENJAMINI THUMII,
Dn. JOH. FRIDER. KRODELII,
Dn. JOH. WILHELCMI NESENI,
Dn. JOH. JOACHIMI MÖLLERI, } REIP. NO-
Dn. JOH. CHRISTIANI NESENI, } TAR.
Dn. JOH. PHILIPPI ROTHII, ACTUARI.

Dum Schola Vos celebrat, satis est attenta futuri:
Nam celebranda simul sic Benefacta rogat.
C. W.

RECORDATIONI
MAGISTRORUM,
sub qvorum
PRIMIS LABORIBUS
NATUM EST GYMNASIUM.

Dn. M. CASPARIS JANITII, RECTORIS.
Dn. MICHAELIS JUSTI, CONRECT.
Dn. M. DANIELIS BURCHARDI, TERTII.
Dn. M. CASPARIS TULLICHII, QVARTI.
Dn. TOBIÆ KINDLERI, CANTORIS.
Dn. PAULI SGHÖNBORNII.
Dn. ADAMI WITWERI.
Dn. PAULI FRITSCHII.

* *
*SILabor incipiens, dum prima obstacula solvit,
Prima, nec immerito, munera laudis habet:
Quis velit Elogiis nullum præstare favorem,
A queis Gymnasii gloria prima venit?
O salvete Patres! terrestria Jubila Natos,
Jubila sed Cæli vos meliora trahunt.*

VE

VENERATIONI
PRÆCEPTORUM,

qvorum

SECUNDIS LABORIBUS

VELUTI RENASCITUR GYMNASIUM.

Dn. CHRISTIANI WEISII, RECTORIS.

Dn. M. ADAMI Erdmann MIRI, CONRECT.

Dn. M. JOACHIMI CURTII, TERTII.

Dn. M. MICHAELIS ZIGERI, CANTORIS.

Dn. GEORGII CRANTZII.

Dn. GODOFREDI JUNGII.

Dn. CHRISTIANI DÖRINGII.

Dn. HENNINGII JOHNII.

* * *

*Salvete ò Secli capita exoptata secundi,
Vos semel incepitus porro secundat honor.
Nec minus, ut frondes crescendo duplicat arbor:
Sic superat primum cura secunda decus.*

*Vivite bis Quatuor, simul & quater este Secundi,
Vestraq[ue] sit nullis dextra secunda Scholis.*

Lipsiae applaudens scribebat

M. JOH. JOACHIMUS MÖLLERUS,
Sommerfeld. Luf.

(O)

17.03.5.04



ULB Halle
003 720 012

3



f

b77






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-101643-p0052-6

DFG

non amplecti
ta sic etiam
Te vigilasse
ses pro inci-
cunda sit re-
tium recor-
affectu com-
progressos.
Conjunctis,
lulantis va-
OS, STO
SENO S,
tutibus mu-
OS. Neq;
notuit ex
bileum nos
Platonicum
præsentia ju-
cum ad flui-
bis elegans
quem in Ä
tatis annu-
& charis in
Jubilo conju-
te credebam
nuncuparet.



m fundamen-
tia, ut nisi pro
vigilare pos-
autem inju-
iter succeden-
rabili prorsus
lim Gymnasio
it epistola, ad
quin Tua sa-
HARTIGI-
INOS, NE-
lis Tuis vir-
d VVEISI-
tasis jam in-
m fuerat Ju-
rum Rectoris
VI, latâ suâ
ium allaturi:
literæ, & in
nus Hymnus,
exactum &
isset optimus
mus novum
nostra Salu-
i, Tua quoq;
eo dimissos,
con-